



502.

40
LV THER VM

DE SACERDOTVM RATIONE VIVENDI
PRAECIPIENTEM

SIMVLQVE

SACERDOTIBVS
PLVRIMVM ADMODVMQVE
REVERENDIS CLARISSIMIS

ATQVE

DOCTISSIMIS
DIOECESI TORGAVIENSI ADSCRIPTIS
AMICAM SVI MEMORIAM

COMMENDAT

M. GOTTLIEB MERKEL

PAST. PRIM. SVPERINT. ET SCHOL. INSP.

TORGAVIAE, TYPIS RUIDELIANIS.

LUTHERVM

DE SACERDOTII RATIONE VIVENDI

RESCRIPTVM

VIVENDI

SACERDOTIBVS

PLVRIMVM ADMONITIO

LEVERE DIS-CLARISSIMIS

ATQVE

DOCTISSIMIS

DISCERNITUR VBI VBIQUE

AMICAM SUI MEMORIAM

COMMEMORAT

M. GOTTLIEB MERKEL

HAEC LIBRARIUS ET SCOLARIS

FORGANNAS TYRIB REIDELIANIS





DE SACERDOTVM STVDIO.

Vespere omnino aliquid ex sacris literis tecum in corde feras ad lectum, quo, velut mundum animal ruminans, suauiter obdormias. Non sit autem multum, sed potius modicum, bene cogitarum, atque intellectum, quod mane surgens, velut reliquias serotinas, reperias. Item in omni studio sacrarum literarum omnino de ingenio et labore desperandum est; sed cum timore et humilitate a Deo intellectum tibi petas. Idcirco, cum codicem accedis, oculos et cordis, et corporis, primum in coelum eleues, ad Christum, breui suspirio eius gratiam implorando, quod idem saepius faciendum est inter legendum, sed ut dicas, et cogites: Da Domine, vt et haec recte intelligam, magis, vt faciam. Sed cave omnibus modis, ne ideo cupias studere sacra, vt velis tantummodo scire, et intelligere, (non enim credo, te tam crassa Minerua esse, vt honorem, lucrum, aut gloriam quaeras,) imo nec ut velis alios docere. Satis tibi tuta sit cogitatio. Potest enim occultissime latere Knodoxia. Sed prorsus nihil quaeras, nisi gloriam Dei, ita, vt sic sis animatus: Ecce, optime Domine Iesu, si non est hoc studium in gloriam tuam, ergo ne facias, me ad syllabam intelligere. Da autem mihi, quantum tibi videtur ad gloriam tuam in me peccatore.

DE FAMILIARITATE.

Rara etiam et eadem brevis familiaritas prodest sacerdoti. Verissimum enim est prouerbum: Amici fures temporis. Quod si amici fures sunt temporis, quid erunt extranei, et ignoti, vel minus familiares? Verum in his summa prudentia tibi opus fuerit, ne

scilicet nimium fugiens hominum conuictum daemonum societates
incidas; rursus si nimium accedas, a porcis conculceris. Itaque se
te vocauerit Deus (si necessarium fuerit seruire, consulere, colloqui
proximo, vel pro salute, aut alia necessitate ad id fueris quaesitus,) *prorsus lex et regula cuiuscunque instituti tui te retineat. Charita-
ti omnis lex debet cedere, etiam orandi, et sacrificandi. Vbi vero
non vocaris, nulli te ingeras, ne incipias velle, et animae, tuae pa-
turi detrimentum.* LV THERVS.

* * * * *

Scribenti igitur mihi, Sacerdoti, ad vos, SACERDOTES, il-
lud argumentum inprimis visum est huic scriptioni aptum,
quod ex LV THERO, de studio, et familiaritate sacerdotis praeci-
piente, iam accipitis. De iis itaque rebus sumus inter nos collo-
cuturi, quae ad nos vere pertinent, et vitam nostram ornant.
Non autem eo consilio hanc scribendi materiam selegi, aut se-
lectam continuabo, vt vos, FRATRES, de iis virtutibus exhor-
tarer, quibus instructi debent esse omnes illi, qui curam rei Chri-
stianae publice gerunt, quanquam et vos reprehensuros esse me,
nullo modo arbitrer, si quid ego monerem de studiis nostris com-
munibus. Namque

ἀγαθὴ καὶ ἀδελφὴ ἐστὶν ἑταίρεω Homerus.

et quo quis est rectorum actionum studiosior, eo libentius admit-
tit vel fert amicum admonentem, quemadmodum pariter *et mo-
nere, et moneri propriam est verae amicitiae, et alterum libere face-
re, non asperere, alterum patienter accipere, non repugnanter.* Cic.
de amic. c. 15. Istam propositam mihi metam habeo, vt studio-
rum meorum rationem VOBISCVM communicem, urque vos in-
telligatis, quam amice inter se conspirare debeant nostri labo-
res, nostraque instituta. LV THERVM igitur habebimus nos omnes
praeceptorem, me autem vos LV THERI interpretem. Duas ipsius
the-

theses, quas in fronte legistis descriptas, quibusque in beati LOE-
SCHERI Actis Reformationis, T. III. p. 950. aliae sunt annexae,
et de quibus suo tempore, volente Deo, sum expositurus, toti-
dem interpretationibus iam iam illustrabimus.

DE STUDIO SACERDOTUM.

In praeepto isto, quod nos primo loco ponendum esse du-
ximus, quodque agit, *de sacerdotis studio*, illud maxime inculcat
LUTHERVS, vt demonstret, omnem ministrum ecclesiae, cuiuscun-
que is sit ordinis, et dignitatis, debere exemplaria hebraica, et
graeca nocturna versare manu, versare diurna. Quid enim legis
peritus sine legum peritia? Quid medicus sine rerum naturalium
scientia? Quid vel arator sine omni institutione? Habent qui-
dem omnes artes liberales commune inter se vinculum quoddam,
quod nemo ignorat; sunt tamen arti cuique sua principia pro-
pria, ex quibus, tanquam ex veris fontibus, omnis scientia deri-
vatur. Atque ea fuit summi numinis in genus humanum cle-
mentia, ut sacris literis nostram ignorantiam instrueret, ac iussis
suis nostram dubitationem regeret. Quemadmodum vero vox
illa, ad AVGVSTINVM coelitus demissa: *Tolle, lege, tolle, lege*, ad
omnes homines Christianos pertinet; ita sacras literas scrutari,
eorum est maxime, qui vi muneris, quod in se susceperunt, aliis
hominibus oracula divina debent explicare. Ridiculum quid mi-
hi videtur esse rerum diuinarum explanator, sine codice sacro,
quem se aliquando fuisse, LUTHERVS ipse cum lacrymis fatetur. Eo-
seuerius itaque praecipit LUTHERVS de sacrarum literarum lectio-
re, cum ipse fuerit expertus, omnia vera atque bona deesse sa-
cerdoti, cui deest codicis notitia. Sed quibuscum isthaec ego?
Aut quas ob causas? Quo denique fine? Laudamus nos, et iu-
re laudamus, auditores nostros, qui nullum diem neque incipi-
unt, neque finiunt, quin dulcedinis aliquid ex fonte veritatis
gustauerint. Libenter ipsos habemus, palam fatentes, sese, cum
A 3
omnis

omnis hominum vita perpetuis errandi periculis sit inuoluta, neque meliorem instructorem, neque sapientiorem moderatorem, neque patientiorem monitorem audire posse, praeter Deum, per scripturas loquentem, atque illud nos edocuit rerum usus, bonos esse et ciues, et Christianos, qui sacras literas libenter, diligenter, et pie legunt. Quanto itaque nos, O FRATRES his auditoribus nostris sumus feliciores, partim cum a teneris iam instructi simus longe maiori linguarum et scientiarum earum copia, quae ad rectam sacri codicis intelligentiam plurimum faciunt, partim cum omnia ea, quae in stationibus nostris tractantur, sese immediate referant ad enunciata diuina, partim denique, cum summum orium, quod literas alit, maiorum nostrorum auctoritate et indulgentia fuerit nobis concessum? Quanto magis igitur nos, propter has aliasque rationes, urgemur, ut scrutemur scripturas, et *ἰεὶ καὶ γράμματα, τὰ διδασκόμενα σοφίᾳ εἰς σωτηρίαν;*

Accedentes, igitur ad codicis lectionem, tanquam ad panem quotidianum, siue *ἐπιούσιον*, oculos et cordis, et corporis primum in coelum eleuamus ad Christum, breui suspirio eius gratiam implorando, quod idem saepius faciendum est inter legendum. Ita LUTHERVS, quo de precum vi iudice nullus certe est probatior. Et quemadmodum sine sole, quamuis oculos habeas, lucem habere non potes; ita etiam, fac, ingenio et sagacitate valeas, absque Deo tamen nil salutariter pernoscere poteris. *In luce tua, Deus, videmus nos lucem. Da mihi, Domine, cor, quod te timeat, mentem, quae te diligat, sensum, qui te intelligat, aures, quae te audiant; oculos qui te videant.* AVGVSTINVS, medit. c. 40. Est omnino precum ardor, est suspiriorum profunditas, sunt gemituum abyssi, unde animus ad audiendum Deum praeparatur, atque dum inter legendum, saepius suspirando, ad Deum quasi evolumus, semper aliquid reportamus, quod mentem poterit efficacissime confirmare. Equidem existimo, non posse quenquam praemunire pectus a terroris sensu, ubi cogitamus magnitudinem

et

et maiestatem eius, qui nobiscum per sacras literas loquitur. *Mira profunditas eloquiorum tuorum, Deus, mira profunditas! Horror est, intendere in eam, horror honoris, et tremor amoris!* AV-
GUSTINVS.

Vt vero de scripturis, cum diligenter, tum reuerenter legendis, rite praecipit LVTHERVS; ita etiam ea, quae ulterius suadet, et de quibus admonet, sunt verissima. *Vespere, inquit, omnino aliquid ex sacris literis tecum in corde feras ad lectum, quo, velut mundum animal ruminans, suaviter obdormias.* In pio hoc artificio, quo et memoria iuuatur, singularis quaedam est efficacia, ut illi fatebuntur, qui sunt harum rerum experti. *Non fit autem multum, sed modicum, bene cogitatum, et intellectum, quod mane surgens, velut reliquias serotinus reperias.* Scimus, apprime esse utile illud: *Non multa, sed multum!* Nam quae ita legimus, ut solent Nili aquas haurire canes, ea abeunt, neque nostra sunt perpetuo. Quae autem multa meditatione reuoluimus, saepiusque animo tractamus, ea sese menti penitus insinuant. Non enim quercus annosae, sed glandes feruntur, unde illae nascantur, et excrescant. Forsitan et illud improbandum non est consilium, ut, cum per diem totum simus occupatissimi, tamen ex sacris literis mane decerpamus aliquid, ad quod continuo remittamus animum. Atque, ut omnia generatim complectamur, varii sunt modi, quibus sacerdos, dummodo voluerit, scientiam suam facile poterit amplificare. Sed opus esse, fatemur, naturali quadam sagacitate, ut indagare, et odorari possimus rectum modum, quo firmiter aliquid capiamus, teneamus, et, ut nostrum, quasi administremus. Plurimam vero scientiam, eamque expurgatam, hoc modo adsecuti, admonemur a praeceptore, LVTHERO, ut omnibus modis caueamus, ne illud, quod est medium ad obtinendum finem, ipsum finem constituamus, ac ne ideo cupiamus studere sacris, *ut velimus tantummodo scire, et intelligere, vel alios docere.* Saepius, quemadmodum a viris prudentibus fuit obseruatum, paruuli nos in scholis inflamur hac opinione, ideo ad li-

teras

teras incumbendum esse sedulo, ut aliquando viri docti, et eruditionis fama conspicui euadamus. Non ita nobiscum oportuisset agi, sed illud menti potius alte insigi: *Stude, ut aliquando melior sis tu ipse, utque, factus sapientior, rebus tuis porissimum valeas consulere.* Par enim est, te, qui labores sustines, horum laborum habere praemia prima, *virtutem* scilicet, et *morum integritatem.* Ista praeterea *εὐδαιμονία*, non sine iure commendata, illico bona non est. Stimulat quidem eum, qui currit, sed contemnit simul et istum, qui superatur. Hinc etiam illos, qui ex studiis literarum nil nisi honorem, lucrum, aut gloriam quaerunt, *crassa Minerua natos*, dicit LVTHERVS. Si qui igitur inter scholarum magistros sint, (non autem esse spero!) qui honores et lucra, tanquam studiorum metam, proponant; quos hac ratione illi formabunt animos? Quae iactantiae et avaritiae spargent semina? Quas exinde habebimus segetes? Quas messes? Statim ad rectam semitam producendi sunt, atque etiam producuntur a viris bonis, pueri, ut de literarum pretio vere statuere, et iuste norint aestimare iacturam temporis, quod scilicet perit omne iis, qui ex amore vel gloriae, vel honorum literis operam dant. De vitando itaque *νευδοξίας* morbo periculosissimo grauiter admonet LVTHERVS cum omnes studiosos, tum maxime omnes sacerdotes. Ipse mauult adeo nil plane, quam plurima pessimo fine, intelligere. *Ecce, inquit, Domine Iesu, si non est hoc studium ad gloriam tuam, ergo ne facias me ad syllabam intelligere; quae verba LVTHERI spiritum heroicum pressissime referunt.*

Sed hoc loco, dum de sacerdotum studiis, liberaliter incipientis, et quotidie continuandis, praecipit LVTHERVS, audire mihi videor voces istas: *Laborum multitudine obruor, res agraria me exercet, animus est recreandus, et vires corporis colligendae, librorum est curta supellelex etc.* Atque haec querimoniae non sunt cerebro effictae, sed multo verissimae. Quid? quod, nisi meam causam, cum ante duos annos in agro bene latuerim, agere viderer,

cerer, affirmare auderem, esse inter sacerdotes, qui ruri degunt,
 viros, ingenio, docilitate, scientia, et arte egregios, viros, in-
 quam, quibus natura neque τὸ περὶ τοῖς νοῦσι ἀδεηθήβαλον, neque
 τὸ σφοδρὸν καὶ ἐνθουσιαστικὸν πάθος negavit; (LONGINVS π. v. c VIII.
 i.) qui vero, cum curis domesticis implicentur, et sine commen-
 datione sint, paulatim hebescant, vel fatiscant rimis, ut huc at-
 que illuc effluent. Nihilominus tamen ab omni culpa propria
 liberari haud possunt illi, qui inter ruricolos, quamuis vel inuiri,
 studia literarum plane abiiciunt, id quod ego hunc in modum in-
 terpretor: Si multos illi habent in officio labores, ita ipsos posse
 laborare existimo, ut studeant. Si res agraria eos exercet, quidni
 per totum diem? An ipsi sunt in opere rustico? Et quis aptiori
 modo potest legere scriptores rei rusticae? Quis HESIODVM, XE-
 NOPHONTEM, et VIRGILIVM, de aratro, de sementis, de equis, de
 vaccis, de bobus, et de totius oeconomiae constitutione praeci-
 pientes, commodius tractabit pariter, ac utilius? Annon CATO
 est Philosophus, quem CICERO (de senect. c. 15.) ita producit
 quaerentem: *Quid de utilitate loquar stercorandi? Dixi in eo li-
 bro, quem de rebus rusticis scripsi.* De utilitate stercorandi philo-
 sophus? Et quidem philosophice? Si animus est recreandus, cur
 hoc non fieri possit studiorum suauitate, ego non video. Si vi-
 res corporis colligendae sunt? Honesta haec est oratio; qua vero
 sumitur, eo fine vires colligi, ut adhibeantur, quemadmodum
 nos quiescimus, ut laboremus. Ἀδυνατούντες συνεχῶς ποιεῖν, ἀνα-
 παύσεως δεόνται: εἰ δὲ τέλος ἡ ἀνάπαυσις γίνεται γὰρ ἐνεκα τῆς ἐνεργείας.
 ARIST. Eth. L. X. c. 6. Requie utendum est, ut somno. Haec
 nosse oportebat eos, qui, sine cursu concitato, semper tamen et
 quotidie respirare volunt. Si librorum copia non abundant? Ergo
 nullos omnino habent, neque habere possunt libros? Non refert,
 inquit SENECA, quam multos, sed quam bonos libros habeas. *Lectio
 terra prodest, varia delectat.* Ceteroquin, CLERICO iudice, prae-
 staret multo PLAVTVM et TARENTIVM ter quaterque legere, quam
 semel cum amplissimis, qui in eos scripti sunt, commentariis. Ut

B

Al-

Alexandro unicus HOMERVS, ita codex hebraice tamen et graece lectus, cum paucissimis libris, poterit sufficere, ad doctrinam, quamvis non amplam, at tamen solidam et firmam acquirendam. Et meditationis beneficium nullo emitur pretio, utpote quod semper est venale volentibus. In toto hoc negotio ego sic statuo: Si modo omnis sacerdos *quotidie* aliquid hebraici et graeci sermonis legeret, et mane unam tantum horam sacris literis impenderet ita tamen, ut nullus dies esset sine linea, vel *secundo*, ut liberalis sim, si modo *quavis hebdomade* sacerdos unicum dictum bibeum rite tractaret, vel *postremo*, ut liberalitate abutar, si modo ea, quae *per decem, vel viginti annos* pro rostris sunt proposita, essent omnia bene cogitata; Num habituri essemus: vel unum sacerdotem, cum in urbibus; tum in agris, quem de ignorantia possemus accusare? Equidem non suspicarer, nos tale quicquam habituros.

Audiamus, FRATRES, et imitationis exemplum proponamus PATREM, IN CHRISTO VENERANDVM, D. AM-ENDE, cuius in praefatione ad elegantissimum CHRISTEIDOS opus haec sunt verba: *Ex longo iam tempore eam mihi feci legem, ut primo quoque mane, nisi officii ratio aliud postulet, Codicis S. pericopen aliquam, et quidem in suis quamque fontibus perscrutarer. A quo more tam salutari nec — dimoueri me, passus sum.* Haec vir summus, et eloquentiae popularis exemplar. Quicumque autem hanc legem, quam et meam mihi feci, studiose custodiunt, illos varios, eosque maximos fructus ex hac pensione percepturos esse, cognouit. Quotidie enim scrutanti, quotidie aliquid haeret. Minuitur legendi difficultas ipso usu. Animus ad studia et pietatem in dies magis accenditur. Intelligentiae fontes sunt apertiores, eoque largius se effundunt. Quid? quod, eo deuenimus hac bene disposita industria, ut anxii simus, et difficiles, si quid forte acciderit, quo vel semel ab hac lectione retrahamur: Et nonne, ut paucis verbis rem omnem conficiamus, nonne, inquam, ea sunt quo-

quoque sacerdotis, quae sunt hominis Christiani? Vel quis mihi dixerit, qua in re bona ab homine Christiano, sine crimine, possit differre sacerdos? Mane ex literis sacris instituendi sumus, quid quoque die sit agendum; et quid quoque die dixerimus, audiuerimus, egerimus, ad Pythagoraeorum mores, commemorabimus vesperi. Haec, FRATRES CHARISSIMI, studiorum nostrorum est ratio, quam LUTHERVS commendat, quamque ego in vobis vehementer probo et laudo. Quid igitur porro? Respondemus: *Ab hoc more, tam salutari, dimoueri nos, nunquam sumus passuri.*

DE FAMILIARITATE.

De familiaritate sacerdotis ita sentit LUTHERVS, ut *raram* *eam* atque *breuem* esse oportere, praecipiat, et, quantum equidem iudicare possum, hoc rectissime dicitur. Multum enim tempus istis confabulationibus sine fructu perditur, et quod de hospitalitate est apte dictum, idem de amicitia, et familiaritate quoque valere debet: *μήτε πολυζήσως, μήτ' ἄζησως*. Deinde, quod LUTHERVS dixit: *ne a porcis conculceris*, illud non tam sensu Pontificio, quam ita est accipiendum: *ne quotidianus sis et vilescas*. Nam qui otiosi sursum deorsum curitant, homines frugī esse non possunt, et his ipsis familiariter uti, non magnum est lucrum. Praeterea intermittuntur etiam ea, quae sunt grauiora, et magis necessaria. Mihi quidem solitudo, sobrie tamen descripta ac dimensa, aurea videtur esse, atque eos maxime decere, qui literis vacant. Habet enim propensio ad laborandum, et studendum, siue *φιλοπονία*, singularem in se honestatem, quae omnibus viris bonis non solum iucunda, sed et grata esse solet. Illud autem, tanquam ridiculum, et inane quid, est cauendum, ne squalidi sentique ideo lateamus, vel in utramque aurem dormitemus, ut stuidisse videamur. Nugas hoc est agere. Attamen auaritia temporis semper est prudenter temperanda, ne in austeritatem et *μυ-*

σανθραπίαν degeneret. Commendant enim sacerdotem affabi-
 litas, comitas, *Φιλανθρωπία*, et humanitas, atque, si iste viuit ab
 omni hominum usu abreptus, nunquam veram aliorum hominum
 notitiam sibi comparabit. Multis quoque malis medelam afferre
 non poterit, quia isti, qui sunt verecundiores et timidores, ac-
 cessum sibi negari, existimabunt. Contemnitur denique, qui
 neminem obseruat, et omnes alios posthabet. Ab ista igitur fa-
 miliaritate abstinendum esse arbitramur, ubi neque nos aliis, ne-
 que alii nobis profint, vel *mutua ad virtutem excitatione*, vel *bo-
 nesta quadam delectatione*. Sed quid de delectatione? Quid? *Etiā
 ludere, ut postmodum seria studiose agas*, (secundum ANACHARSIN)
rectum est. Ludus enim quasi requies est. *Αναπαύσει γὰρ εἶκεν ἡ
 παιδιὰ* ARIST. Eth. L. X. c. 6. Cum pueris colluserunt viri prae-
 stantissimi, SOCRATES cum Lamprocle, AGESILAVS, cum filio, HER-
 CVLES, cum Iouis et Alcmenae pueris, ex quo etiam EVRIPIDES
 Herculem inducit dicentem: *πάλω, μεταβῆθι δὲς γὰρ τῶν πόνων ἀέ
 Φιλῶ, ludῶ, quoniam variationes laborum semper amo.* AELIAN. V. H.
 L. XII. c. 15. c. not. Periz. LEIBNIZIVS fertur hac methodo philo-
 sophiae studuisse, ut pueros multos, libere et petulanter collu-
 dentes, rimaretur. *Ego ad artem musicam confugio*. Haec ad de-
 lectationem faciunt, et institutionem. LVTHERVVS itaque morosi-
 tatem non suadet, cum ipse fuerit homo lepidissimus, et acutissi-
 mus, sed istam tantum familiaritatem in sacerdote improbat,
 quae est nimia, ingloria, ac inutilis, cum contra ea longe magis
 rem Christianam iuuabit sacerdos, qui est moribus commodis,
 quam qui est austerus, et doctus et rusticus.

Sed quid tenendum est, de conuersatione erudita? Vtram-
 ne haec est sacerdoti commendanda? *Nihil ad informationem com-
 modus est, quam frequens cum viris doctis conuersatio, quae est di-
 sciplina omnium optima, et in sensus magis incurrit, quam caedosa
 illa per lectiones et meditationes via.* MORHOE Polyh. L. I. c. 15. A-
 thenis olim et Romae huiusmodi *συνήθεις* frequentabantur, ut
 ex

ex GELLIO, et PLUTARCHO constat, et si ex meo mihi liceret vivere ingenio, quavis hebdomade bis, aut ter cum viris eruditis optarem, ut possem confabulari, et docte ridere. Cur autem haecce optem, et expetam, has habetote rationes: *Primo* in viris bonis et prudentibus semper sunt quaedam vel admiratione, vel imitatione digna, quorum illa magnam voluptatem, haec vero plurimam utilitatem adferre possunt. *Deinde* incredibilis quaedam efficientia (ex meo sensu iudico) est in viva voce, atque inter ea, quae aut *attente* legerimus, aut cum pudore quodam *attente audiverimus*, illud est discrimen, quod est inter solem hyemalem, et aestivum, quorum ille quidem frigentibus lucem praebet, hic autem, praeter lucem, totum quoque corpus ita premit, ut incalcescat, et in sudorem coniciatur. Longe tenacius haerent animo ea, quae semel ex ore viri magni accepimus, quam quae terque quaterque legimus. Denique et illud addo: varia esse hominum ingenia, varium rerum tractandarum modum, variam lectionis et elegantiae ubertatem. Ut itaque scintillas excudere, atque ex scintillis flammam evocare possimus, ardentem, et alte urentem, opus est nobis chalybe. Etiam cotis instar, acuntur ingenia ingenii; et quae in suis fundamentis bene iuncta sunt, ea hoc modo exaedificantur. Quodsi igitur animus rectis praeceptis fuerit satis formatus, tunc is quoque ab exemplorum vi firmius robur accipit, et maiori alacritate ad istam metam tendimus, ubi cursus habemus *comites*, quos aut *strenue sequamur*, aut quibus *pares eamus*, aut quos *laudabiliter superemus*. Notum est illud vel pueris nostris:

Ἐθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἑθλῶν διδάσκει. ἦν δὲ κακοῖσι

Συμμιχθῆς, ἀπολείς καὶ τὸν εἶντα νόον. XENOPH. Symp. II. 4.

Ad ea, quae de familiaritatis literariae commodis dicta sunt, addimus etiam haecce: Nobis, scilicet sacerdotibus, qui in instituendis, flectendis, confirmandis, ac erigendis auditorum ani-

mis quotidie occupamur, illud esse caput rei, ut dicendo aliquid
 valeamus. Quodsi enim, secundum CATONEM, ET QUINCTILIANVM,
 orator est vir bonus, dicendi peritus; tunc certe omne studium
 consumendum est in eo, ut, cum ex animo tuo scire possis, utrum
 sis vir bonus, ex aliis intelligas, utrum quoque sis dicendi peritus.
 (Nihil est, quod coquus artificium suum praedicet in cibo illo,
 quem omnium sanorum hominum stomachus fastidit.) Quinam
 vero sunt isti alii, a quorum iudicio recte pendere, et correctio-
 nis materiam accipere poteris? Respondeo: *Primo* negligendi
 non sunt illi, apud quos dicas, et orationem habeas. Literati
 quidem non omnes, attamen homines sunt omnes, sensu commu-
 ni praediti, vel adeo interdum εὐφρεῖς. Pertinet huc elegantissimus
 locus LONGINI, π. υ. c. VII. quem, cum interpretatione MORI V. C.
 transcribam: Ὅλος δὲ καλὰ νόμιζε ὕψη καὶ ἀληθινὰ, τὰ διαπαντὸς
 ἀρέσκοντα καὶ πᾶσι. Ὅταν γὰρ τοῖς ἀπὸ διαφορῶν ἐπιτηδεύματων, βίαν,
 ζῆλον, ἡλικίαν, λόγον, ἐν τῇ καὶ τούτων ἅμα περὶ τῶν αὐτῶν ἀπασι δοκῇ,
 τόσ' ἢ εἰς ἀτυμφοῦντων ὡς κρείστος καὶ συγκατάθεσις τὴν ἐπὶ τῷ θαυμαζομένῳ
 πίσιν ἰσχυρὰν λαμβάνει, καὶ ἀναμφίλεκτον. *Omniino veram laudabilem-*
que sublimitatem illam putabimus, quae et semper et omnibus pro-
batur. Nam cum hominibus diuersorum institutorum, vitae gene-
rum, studiorum, aetatum, et linguarum, unum et idem de eadem
re videtur, tum in illo diuersorum conspirante adsensu certissimi vo-
bis constare potest, rem admiratione dignam esse. Ergo oratori fa-
cro diligenter videndum est, quid alii probent, quid uniuersū
sentiant, quid expectent, quid reprehendant. Habet adamas
pretium suum ex sua natura, apud peritos; adpectus autem ma-
giorem suauitatem apud omnes, ex artificio bene disposito.

Deinde, non neglecto uniuersorum, apud quos dicas, iudi-
 cio, illud utile est quam maxime, ut familiares tuos, eosque vi-
 ros bonos, et dicendi peritos, in consilium adhibeas. Hocce fa-
 miliares aut animo tibi finge, tanquam praesentes, id quod LONGI-
 NIVS suadet his verbis: Πῶς ἂν τὸδε τι ὑπ' ἐμοῦ λεγόμενον παρῶν Ὀ-
 μίγος

*γενος ἡμευθεν, ἢ Δημοσθενος, ἢ πῶς αὖ ἐπὶ τοῦτο διετέθησαν. Quo animo
 ea, quae a me dicuntur, Homerus et Demosthenes, si adessent,
 audituri videntur? Quo sensu adfici debere videntur? aut familia-
 ribus iis, qui sunt praesentes, ita utere, ut ipsis recites, quae a
 te sunt elaborata. Atque ita habebis, quibus recites, quibuscum
 legas, expungas, emendes, palleas, erubescas, incalescas, ami-
 cos, non fures temporis. Sollicite autem recitaturis providendum
 est, non solum, ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant.
 PLIN. Ep. L. VI. 15. Magnum et diuinum quid est, eos habere
 familiares, qui sunt viri boni, et monitores sapientes. Istaе fami-
 liaritates mihi, vobisque saepius proueniant, utpote quas proba-
 mus quas expetimus, quas facimus maximi.*



Nunc igitur vos alloquor, FRATRES OPTIMI, atque AMAN-
 TISSIMI. Praeter omnem meam opinionem, aut exspectationem
 factum est, ut ab *AMPLISSIMO*, et *SPENDIDISSIMO SENA-
 TV TORGAVIENSI*, cuius in me voluntatem, atque fauorem
 gratissima mente veneror, ad PASTORIS PRIMARII munus euo-
 carer, quod mei eligendi consilium a *SERENISSIMO
 PRINCIPE nostro*, et *SVMMO SACRORVM SA-
 XONIAE SENATV* ita fuit approbatum, ut et *EPHORI* di-
 gnitate clementissime ornarer. Vix unum atque dimidium annum
 apud *GOMMERANOS meos* suauissime, et amicissime vixeram, cum
 haec noua prouincia ad me deferretur. Quemadmodum vero hu-
 ius mei muneris grauitas me onerat, ita multo vehementius me
 exercet meae infirmitatis cogitatio. *Sed videat Deus, cui obtempe-
 ravi, ut viribus me instruat, ne ipse in me decipiatur!* Haec ego
 scribo cum eo imbecillitatis meae sensu, quem solus Deus solus-
 que Christus nouerit!

VOBIS, FRATRES OPTIMI, amicū pectus offero, men-
 tisque meae interpretem **V**OBIS sisto Paullum: Πληρώσατέ μου
 τὴν χάριν, ἵνα τὸ αὐτὸ Φρονῆτε, τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, σύμφυχοι τὸ
 ἐν Φρονοῦντες μηδὲν κατὰ εἰρήσεια, ἢ κενοδοξίαν ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύ-
 νῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. Phil II, 2. 3. 4. Illud ego,
 diuina adiutus gratia, sedulo agam, ut in me habeatis *Ephorum*
vigilem, et iustum, monitorem liberalem, et moderatum, συνεργὸν
diligentem, et amicū integrum. Faxit Deus feliciter! Primum
 autem, ad quod, in limine muneris mei, **V**ESTRA studia, **V**ESTRAM
 operam, **V**ESTRAS curas, **V**ESTRAM vigilantiam, **V**ESTRAMQUE con-
 stantiam prouoco, positum est in hoc momento: *Scholas, earum-*
que emendandarum industriam **V**OBIS *uniuersis ita iniungo, tan-*
quam coram tribunalī Domini nostri Iesu Christi. Valere, FRATRES,
 in Spiritu Sancto. Torgau. Pridie Id. Augusti,

MDCCLXXIII



94 A 7368

ULB Halle
002 928 582

3



10 17





40
LV THER VM
DE SACERDOTVM RATIONE VIVENDI
PRAECIPIENTEM

SIMVLQVE
SACERDOTIBVS
PLVRIMVM ADMODVMQVE
REVERENDIS CLARISSIMIS
ATQVE
DOCTISSIMIS
DIOECESI TORGAVIENSI ADSCRIPTIS
AMICAM SVI MEMORIAM
COMMENDAT

M. GOTTLIEB MERKEL

PAST. PRIM. SVPERINT. ET SCHOL. INSP.

TORGAVIAE, TYPIS RUIDELIANIS.

